

Potest etiam hujusmodi consecrationes ante pallii receptionem alteri committere, dummodo non sit in mora petendi pallium. Neque ante habitum pallium potest Electus ante se crucem deferre sed tantum postea.

*Pontif. rom.*

Vd.: *Pallium* (Bened. et traditio — Caerem. Eccles. rom.)

#### XIV. Sensus mysticus.

Vd.: *Pallium* (a quo tempore etc., praecipue decr. *Clementis II.*; *Episcopo concess. etc.* decr. Urbani ad Episcopum Daibertum, decr. *Bened. XIV.*; *In missa tantum etc.*, decr. Paschal. II.; *functiones et dies*, decr. Paschalis II. et Gelasii II.).

*Gelasius PP. II. Gualtero Ravennatium Archiepiscopo.*

Fraternitati tuae pallium, pontificalis videlicet officii plenitudinem, liberaliter concedimus, quo fraternitas tua, secundum Ecclesiae tuae morem ex Apostolicae Sedis concessionem permissum, se noverit induendum. Hujus siquidem indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem et in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectum, amicum bonis, perversis contrariam, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens, tum operibus juxta virtutem constantiae insistens, tum insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, de alienis tamquam de propriis exultans gaudiis, in vitiis corrigendis pie saeviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis justae censuram non deserens. Haec est, frater charissime, pallii accepti dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Die 1. Septbr. 1118.

(Bull. r. t. II. p. 286. Ed. Aug. Taurin. 1859.)

*Calixtus PP. II. Petro Archiepiscopo Panormitano.*

Pallii usum, qui antecessoribus tuis a nostris antecessoribus est concessus, dilectioni tuae concedimus, quo videlicet uti debetis diebus illis, qui in Ecclesiae tuae privilegiis distinguuntur. Cujus indumenti honor quoniam modesta actuum vivacitate servandus est, hortamur, ut ei morum tuorum ornamenta convenient, quatenus auctore Deo recte utrobique possis esse conspicuus. Quamobrem, charissime frater, quoniam pastoralis curae constringit officium, dilige fratres, ipsi quoque adversarii propter mandatum Domini cum tuo circa te copulentur affectu: pacem sequere cum omnibus, sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum, piis vaces operibus, virtutibus polleas, fulgeat in pectore tuo rationale iudicium cum superhumerali actione conjunctum; ita procedas in conspectu Dei et totius Israel; hujusmodi gregi commissa praebeas exempla, ut videant opera tua bona et glorificent Patrem tuum, qui in coelis est, sit in lingua sermo, sit coeli fervor in animo, creditum tibi agrum dominicum exerce; dum licet, semina in timore, dum tempus est, bonum faciendo non deficias, tempore enim suo metes, non deficiendo vigilanter. Itaque terrena negotia relinquendo coelestibus anhelata, quae retro sunt obliviscens, in ea, quae ante te sunt temetipsum extendens, mens tua in saeculari veritate non diffluat, sed tota in unum currat atque confluat finem, quem mira suavitate David respexerat, cum dicebat: Unam petii a Domino, hanc requiram, ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitae meae. Sancta Trinitas fraternitatem tuam suae gloriae protectione circumdet et ad finem, qui non finitur, pervenire concedat.

Die 2. Apr. 1123. (*Ibid.* n. 333.)

*Eugenius PP. III. Roberto Acheruntino Archiepiscopo.*

Pallium fraternitati tuae, plenitudinem videlicet pontificalis officii, ex apostolicae sedis liberalitate concedimus, quod te intus Ecclesiam tantum ad missarum solemniam subscriptis diebus noveris induendum, id est: Nativitatis Domini, Epiphaniae, Hypapantes, tribus solemnitatibus beatae Mariae, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectionis, Ascensionis, Pentecostes, nativitatis S. Joannis Baptistae, festivitatis Apostolorum omnium, Michaelis Archangeli, commemoratione omnium Santorum, etiam eorum Martyrum vel Confessorum, qui in Acheruntina Ecclesia requiescunt, in consecratione Ecclesiarum, Episcoporum, Presbyterorum et Diaconorum, cujus nimirum pallii volumus te per omnia genium vindicare; hujus siquidem indumenti honor, humilitas atque justitia est. Tota ergo mente fraternitas tua se exhibere festinet in prosperis humilem, et in adversis (si quando eveniunt) cum justitia erectum, amicum bonis, perversis contrarium, nullius unquam faciem contra charitatem recipiens, nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens, misericordiae operibus, juxta virtutem substantiae insistens et tamen insistere etiam supra virtutem cupiens, infirmis compatiens, benevolentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exultans, in corrigendis vitiis pie saeviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in via iudicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis justae censuram non deserens. Haec est, frater charissime, pallii accepti dignitas, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habebis.

Die 1. Apr. 1151.

(*Ibid.* t. II. p. 570.)

*Urbanus PP. III. Henrico Patriarchae Gradensi.*

Pallium plenitudinem videlicet pontificalis officii fraternitati tuae ex apostolicae sedis liberalitate largimur, quo intra Ecclesiam tuam ad missarum solemniam celebranda uti memineris eis diebus, quibus praedecessores tuos usos fuisse cognoscis, videlicet in Nativitate Domini, Epiphania, Hypapanti, tribus festivitibus Sanctae Mariae, Coena Domini, Sabbato Sancto, Resurrectione Domini, Ascensione, Pentecostes, in natalitio S. Joannis Bap. et omnium Apostolorum, in festivitibus quoque S. Marci, S. Protomartyris Stephani, S. Laurentii, S. Martini, in solemnitate omnium Sanctorum et principalibus Ecclesiae tuae festivitibus, necnon Ecclesiarum, Episcoporum et caeterorum Clericorum consecrationibus et anniversario consecrationis tuae die. Cujus utique dignitatem in bonis per omnia te volumus vindicare, ut in corrigendis subditis plus apud te possit ratio quam potestas atque te boni dulcem, mali vero pium sentiant correctorem, personas diligas et subjectorum vitia persequaris, ne si aliter agere forte volueris, transeat in crudelitatem correctio et perdas, quos desideras emendare; sicque vulnus debes abscindere, ut non possis quod sanum est ulcerare, ne si ferrum plus quam res exigit imprimatur, noceat cui prodesse festinas; sed sic alterum condiatur ex altero, quatenus et boni habeant amando quod caveant, et mali metuendo quod diligant.

Die 31. Maii 1186.

(*Ibid.* t. III. p. 41.)

*Lucius PP. III. Archiepiscopo Monteregalis.*

Pallium ad haec, plenitudinem scilicet pontificalis officii, fraternitati tuae



## Forma juramenti.

Ego N. Electus Ecclesiae N. ab hac hora in antea fidelis etc. ut in consecratione Electi in Episcopum.

Expleto juramento ab Electo dictus Pontifex in gremio suo librum Evangel. ambabus manibus apertum tenens, inferiore parte libri versa, ab eo praestationem hujusmodi juramenti recipit et Electo adhuc coram eo genuflexo dicente: „Sic me Deus adjuvet et haec s. Dei Evangelia.“

Tum Pontifex respondet: „Deo Gratias.“ Juramento praestito Pontifex surgit cum mitra et Pallium de altari accipit et illud super humeros Electi adhuc ante se genuflexi imponit dicens:

*Ad honorem omnip. Dei et B. M. semper Virginis ac bb. Ap. Petri et Pauli, Domini Nostri N. Papae N. et s. romanae Ecclesiae necnon Ecclesiae N. tibi commissae tradimus tibi Pallium de corpore b. Petri sumptum, in quo est plenitudo pontificalis officii, cum patriarchalis (vel archiep.) nominis appellatione, ut utaris eo intra Ecclesiam tuam certis diebus, qui exprimuntur in privilegiis ab ap. Sede concessis.*

*In Nomine Patris et Filii et Sp. s. sancti. R. Amen.*

Quo dicto Pontifex detecto capite vadit ad cornu Evangelii altaris, et Patriarcha vel Archiep. surgit cum Pallio et ascendens ad altare crucem suam ante se habens, si sit in Ecclesia sua vel alia suae dioecesis vel provinciae detecto capite benedicit populo solemniter dicens: *Sit nomen D. etc.*

Qua benedictione data dimissis in Ecclesia paramentis Omnes ad sua revertuntur.

*Pontif. rom.*

In tradendo Pallio extra Romanam Curiam consuetudo ab immemorabili tempore est, ut Summus Pontifex uni aut duobus Episcopis committat illius traditionem, qui praestituta die con-

venire debent cum ipso Electo, cui Pallium tradendum est, in Ecclesia Metropolitana vel alia magis commoda suae Provinciae, nisi necessitas aliud suadeat, ubi missa celebranda erit et post communionem Celebrantis ponetur in medio altaris Pallium, extensum serico coopertum; ac finita missa, Episcopus sive Episcopi commissarii induti amictu, stola, pluviali et mitra simplici, sedentes ante altare super faldistoriis aut aliis sedibus, Juramentum fidelitatis nomine Sedis apostolicae accipient ab ipso Electo genuflexo et induto omnibus paramentis pontificalibus, praeter chirothecas et mitram, nisi illud prius praestitisse legitime docuerit, juxta formam litterarum apostolicarum felicis recordationis Xysti Papae V.

Quo praestito surgent Episcopi vel Episcopus cum mitris et accipient de altari Pallium, quorum senior illud super humeros Electi ante se genuflexi imponet, dicens: *Ad honorem omnipotentis Dei etc.*, ut in Pontificali habetur.

Quo facto surget Patriarcha vel Archiepiscopus cum Pallio, ascendet ad altare Crucem ante se habens et detecto capite populo solemniter benedictet, dicens: *Sit nomen Domini etc.* Deinde dimissis in Ecclesia paramentis omnes recedent.

*Caer. Ep. I. I. c. XVI. n. 1. 2.*

*Vd.: t. II. p. 604 decr. Pii VI.*

## c) Traditio per Procuratorem.

*Vd.: Pall. (Bened. et traditio — Caerem. Eccles. rom. —); t. II. p. 604 decr. Pii VI.*

## XVIII. Translati Archiep. etc.

*Vd.: Pall. (Ubi et quando etc. ?; Bened. et trad. etc. — Caerem. Eccles. rom. —).*

## XIX. Ubi et quando utendum?

Pallio potest Primas uti in omnibus Ecclesiis, in quibus jurisdictionem

ecclesiasticam accepit. n. 1521 ad 2 die 26. Novb. 1644.

Cantabitur Missa sol. de s. Spir. (in die inchoationis Concilii) per Archiep., qui in ea utitur Pallio.

*Caer. Ep. I. I. c. XXXI. n. 13.*

Pallio utitur Archiepiscopus in singulis Ecclesiis Provinciae suae non autem extra Provinciam et dumtaxat dum *missam sol.* celebrat, praescriptis quibusdam diebus, qui in privilegiis Ecclesiae Metrop. exprimi solent.

*Ibid. c. XVI. n. 3.; I. II. c. XXVI. n. 12., 19.*

Electi ad Patriarch. vel Metrop. Ecclesias non ante Patriarchae et Archiepiscopi appellari possunt, quam Pallium receperint, *sed nec translati* de una Ecclesia ad aliam uti possunt Pallio, quod pro prima Ecclesia acceperant, nec Pallio sui praedecessoris def. nec translati, sed opus est, ut iterum pro nova Ecclesia petatur et habeatur novum Pallium; *nec interim ipsis Electis licet Pontificalia munia exercere.*

*Ibid. I. I. c. XVI. n. 6.*

*Vd.: Pallium (Functiones etc.; Episcop. concessum); Pall. (bened. et tradit. — ex caerem. Eccles. rom.)*

Non potest Patriarcha vel Archiep. uti Pallio extra suum Patriarchatum vel Provinciam et non omni tempore *sed tantum in Ecclesiis et missarum solemnibus*, in festis praecipuis, *non in processionibus neque in missis pro defunctis.*

*Pontif. roman.*

Quidam Archiepiscopus, cujus Dioecesis non habet Suffraganeos, Pontificalia exercens Dominica Pentecostes in Ecclesia alienae Dioecesis, de licentia Ordinarii, Magistro Caeremoniarum suadente usus est Pallio. Hinc quaerit: utrum possit in posterum uti Pallio in

designatis diebus extra suam Dioecsim de licentia tamen Ordinarii loci?

S. R. C. ad Quirinale in Ordinario Coetu coadunata ad relationem proprii Secretarii rescripsit: „Negative.“ n. 4758 die 8. Aug. 1835.

## PALMA.

## 1) Benedictio et Distributio.

*Vd.: Purificatio; Dominica Palmar.*

## 2) Dignitatis.

Praeposito (Cathedralis Anagninae) debetur in distributione Palmarum distincta et honorabilior (palma) quam caeteris de Capitulo. n. 4040 ad 5 die 21. Apr. 1736.

## 3) Quando tenenda?

Dum cantatur Passio et Evang. Canonici resumunt palmas.

*Caer. Ep. I. II. c. XXI. n. 10.*

Ad elevationem solus Episcopus (assistens) tenet palmam.

*Ibid. n. 20.*

*Cf.: Passio (Episcopus etc.).*

## PALMATORIA.

*Vd.: Bugia.*

## PANEM DE COELO etc.

## 1) In expos. SSmi 40 hh.

*Vd.: Instructio Clem. §. XXIV. n. 18.*

## 2) In aliis expos. SSmi.

*Ibidem.*

## 3) In repos. SSmi.

*Vd.: Instructio Clem. §. XXXI. n. 2. etc.*

## PANGUE LINQUA.

*Vd.: Benedictio cum SSmo; Tantum ergo etc.; Quando incipiend. et quis intonat? vd.: Instructio Clement. §. XIX. n. 15. 16. 20.*



de sedis apostolicae liberalitate largimur, quo *intra Ecclesiam tuam ad missarum solemniam* celebranda subscriptis diebus uti debebis, Nativitate scilicet Domini, festo S. Stephani, octava Nativitatis Dominicae Epiphaniae, Hypapanti, Dominica in Ramis Palmarum, Coena Domini, Sabbato Sancto, Pascha et duobus diebus sequentibus, Assumptione, Pentecoste, tribus festivitatibus Dei Genitricis et Virginis Mariae, Natalitio S. Joannis Bapt., commemoratione omnium Sanctorum, solemnitatibus omnium Apostolorum et praecipuis festis Ecclesiae tuae, dedicationibus Ecclesiarum, consecrationibus Episcoporum, ordinationibus Clericorum, et anniversario tuae consecrationis die. Provideas igitur quomodo hujus indumenti honor modesta sit actuum vivacitate servandus, ut ei morum tuorum ornamenta convenient, et esse plus valeas bonis actibus, quam hujusmodi ornamento auctore Deo conspicuus et quem pastoralis curae constringit, officium, dilectionem proberis fratribus exhibere, ut in humilitatis virtute fundatus, nec eleveris prosperis, nec fatigeris adversis. Ipsi etiam per mandatum Dominicum tuo circa te copulentur affectu, et quantum in te fuerit, pacem habeto cum omnibus, et ad pacem studeto reducere discordantes: fulgeat in pectore tuo rationale iudicii cum superhumerali ratione conjunctum, et ita in conspectu Dei procedas et hominum, quatenus commisso tibi gregi Dominico, virtutis praestes exemplum, et taliter opere procedas et verbo, ut videntes opera tua bona glorificent Patrem nostrum, qui in coelis est, et gaudeant se talem habere rectorem, per quem et erudiantur ad fidem et ad recta opera provocentur.

Die 5. Febr. 1183.

(*Ibid.* t. III. p. 13.)

### XV. Taxa solvenda.

Vd.: *Pallium* (Bened. et trad. Rom. — Caerem. Eccl. rom. —)

### XVI. A quo tempore concessum?

Vd.: *Pallium* (Episcopo etc.); t. II. p. 598.

#### *Dil. Fr. Auxantio Arelatensi Vigilius.*

Quia digna credimus ratione compleri, ut agenti vices nostras pallii non desit ornatus, usum tibi ejus, sicut decessori tuo praedecessor noster sanctae recordationis Symmachus legitur contulisse, beati Petri sancta auctoritate concedimus.

Die 22. Maii 545.

(Bull. r. t. I. p. 150. Ed. Aug. Taur. 1857.)

#### *Dil. Fr. Aureliano Arelatensi Vigilius.*

Ne in aliquo sedis nostrae Vicarius minor suis decessoribus videatur, necessarium fore credidimus pallii vobis usum quemadmodum decessori vestro hactenus dederamus, praesenti auctoritate concedere, ut morum et omnium bonarum rerum vobis beato Petro Apostolo suffragante non desit ornatus.

Die 23. Aug. 546. (*Ibid.* p. 153.)

#### *S. Gregorius I. Mariniano Ravenatensi Archiepiscopo.*

Conferimus tibi tuisque successoribus honorem pallii in perpetuum seu omnem pontificalem decoris usum, sicut in epistola tibi transmissa concedendo confirmavimus.

Die 24. Martii 595. (*Ibid.* p. 162.)

#### *S. Gregorius I. Vigilio Episcopo Arelatensi.*

Quod juxta antiquum morem usum pallii ac vices sedis apostolicae postulasti, absit, aut ne transitoriae potestatis culmen, aut exterioris cultus ornatum in vicibus nostris ac pallio

quaesisse te suspicer. Sed quia cunctis liquet, unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis apostolicae fraternitas vestra repetit, quid aliud quam bona soboles ad sinum matris recurrat? Libenti ergo anima postulata concedimus, ne aut vobis quidquam de debito honore subtrahere aut praecellentissimi filii nostri Childeberti regis petitionem contempsisse videamur.

Die 12. Aug. 595.

(*Ibid.* p. 164. n. 1.)

#### *Gregorius V. PP. Gerberto Archiep. Ravennaten.*

Quoniam apostolicae sedis benevolentia et antiquae sedis consuetudine zelo provocata fraternitatem tuam Ecclesiae Ravennati praefecimus, insignia praesulum ejusdem Ecclesiae dignum duximus tibi conferenda cum usu pallii, quo uti debes certis temporibus certisque modis sicut antecessores tuos usos fuisse cognoscis, hoc te nihilominus admonentes, ut sicut a nobis hujus decoris usum ac sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate susceptum in Christo sacerdotium adornare contendas, sic enim alterno eris decore conspicuus, si cum habitu corporis mentis quoque bona concordant, ut foris compositus, intus autem directus, Deo cum propheta vere dicere possis: Provideo Deo in conspectu meo semper, ut sit a dextris mihi, ne unquam commovear.

Die 28. Apr. 998.

(*Ibid.* p. 470.)

#### *Clemens II. PP. Archiepiscopo Salernitano.*

In nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti archiepiscopali pallio nostra apostolica manu dilectionem vestram

insignivimus: quo utaris toties in anno quoties praedecessores tuos eo usos fuisse constat. In quo, quia de velere ovis est, intellige te ovium pastorem; et quia eo circumcingeris et etiam circa humeros portas, cognoscas et undique circumspicias, ne aliqua erret, et in morsus incidat luporum. Quod si aliquando, quod absit, contigerit, eam habeas in humeros ad caulam reportare, et pristinae societati coadunare. Quod vero ante et retro crux Domini habetur, illud apostolicum semper docet ante oculos tuae mentis habere: mihi mundus crucifixus est et ego mundo.

Die 18. Febr. 1046.

(*Ibid.* p. 576.)

### XVII. Traditio.

#### a) Romae facienda.

Vd.: *Pallium* (Bened. et traditio Romae, — Caerem. Eccles. rom. —).

#### b) Extra Urbem.

Cum Pallium a Sede apost. mittitur, Pontifex, cui res ipsa committitur, statuta die cum Electo convenit in Ecclesia sua, si commode fieri potest, vel alia Ecclesia suae dioecesis vel provinciae magis commoda, in qua missarum solemniam peragantur. Et facta communionem per Celebrantem Pallium reponitur supra medium altaris extensum et serico, in quo involutum portatum fuit, coopertum. Deinde peractis missarum solemnibus Pontifex indutus amictu, stola, pluviali et mitra sedens ante altare super faldistorio capit juramentum fidelitatis nomine sedis ap. ab ipso Electo omnibus pontif. paramentis, ac si celebraturus esset, mitra tamen et chirotecis demptis, induto ante se genuflexo juxta formam per literas apost. traditam.